

Dissertatio medica inauguralis, de paraphrenitide ... / Eruditorum examini submittit Michael van de Werke.

Contributors

Werke, Michael van de.
Wittichius, Jacobus.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Johannem Hasebroek, 1735.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tua9z2pg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PARAPHRENITIDE.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.,

Ex Auctoritate Magnifici Reſtoris,

D. JACOBI WITTICHII,

A. L. M., PHIL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACUL-
TATIS, UT ET MATHESEOS PROFESSORIS:

NEC NON

*Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu, & Nobiliſſi-
mae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

MICHAEL VAN DE WERKE, Rotterodamenſis.

*Ad diem 16. Decembris 1735. horâ
locoque ſolito.*



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOHANNEM HASEBROEK, Bibliopolam. 1735.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library



D. PETRO VAN DE WERKE,
PARENTI OPTIMO, FILIALI AMORE AC DE-
BITA ANIMI REVERENTIA OBSERVANDO,
HONORANDO.

NEC NON

VIRIS CELEBERRIMIS

D. HERMANNO BOERHAVE,
A. L. M. PHIL. ET MED. DOCT. SOCIETATIS
REGIAE LOND. SOCIO, REGIAE SCIENTIA-
RUM ACAD. MEMBRO HONORARIO, MED.
ET COLLEG. PRACT. PROFESSORI COLLEG.
CHIRURG. PRÆSIDI.

D. HERMANNO OOSTERDYK
SCHACHT,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCT. EJUSQUE
THEORET. PRACT. ET COLLEG. PRACT.
PROFESSORI, ILLUST. PRÆPOT. ORD. HOL-
LAND. AC WESTFR. COLLEG. THEOLOG.
MEDICO, COLLEG. PHARMAC. PRÆSIDI,
PROMOTORI HONORATISSIMO.

D. BERNHARDO SIEGFRIED
ALBINO,

MED. DOCT. ANATOM. ET CHIRURG. PRO-
FESSORI, H. T. DECANO.

D. ADRIANO VAN ROYEN,
MED. DOCT. EJUSQUE AC BOTAN. PROFES-
SORI, SOCIET. REGIAE LONDIN. SOCIO.

AOTUA

A 2

D.

D. HIERONYMO DAVIDI
GAUBIO,

MED. DOCT. MED. AC CHÈMIÆ PROFESSORI.

D. GUILIELMO JACOBO
's GRAVESANDE,

A. L. M. PHIL. ET J. U. DOCT. PHIL. ET MATHES.
PROFESSORI, SOCIET. REGIAE LONDIN.
MEMBRO.

*Hancce Dissertationem in Augu-
ralem ea qua par est reve-
rentia.*

D. D. D.

MICHAEL VAN DE WERKE.
A U C T O R.



PROOEMIUM.



*I*nter Plurima veritatis monita, quæ solers & judicioſa antiquorum ſapientum doctrina Poſteritati reliquit, præcipua & inconcuſſa ad hæc uſque tempora ſtetit hæc ſententia, quod nempe malum eo gravius, quo ſubjectum, quod deſtruire conatur nobilius. hoc cum in omni foro veriſſimum ſit, ejus conſideratio certe in Medicina ſummi momenti eſt, huicque fundamento Prognosis innititur. Axiomatis loco in Medicina eſt, quod omnis morbus eò plus periculi involvat, quo pars affecta ſit præſtantior, & neceſſaria ad vitam magis; nam præſtantia partis à neceſſitate & officio ſeu functione ſpectatur. In Paraphrenitide diaphragma affectum eſt, præcipuum actionum vitalium & animalium Organum. hujus prædominio & imperio omnes abdominis muſculi agitantur in bonum Vitæ communis. hujus arbitrio

omnes Musculi Thoracis, Pulmo ipse movetur ad subtilisandum sanguinem; ut verbo dicam, nulla actio ventriculi, nulla intestinorum, nulla viscerum abdominalium exercentur sine ope Diaphragmatis, factum excipio. Nec excrementa eliminari queunt sine hujus adminiculo. Satis notum est actiones validiores vim Diaphragmatis requirere, unde Patet necessitas ejus & Nobilitas. Jam nobile Organum hoc morbo inflammatorio affectum est, læsa ejus actio, ergo omnes ab eo Dependentes, consequenter in summo discrimine ægrum versari, quis non affirmabit? Formidabile malum, altissimum tamen de eò apud Plerosque Medicos ejus silentium; Placuit proinde de hoc Thema Inaugurale concinnare, in eoque causas Phœnomena, exitum, & curam, quantum virium tenuitas permittit, depingere. Benevolum Lectorem enixè rogo, ut conamen hocce meum qualecunque sit, benigno Oculo contempletur.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PARAPHRENITIDE.
ETYMOLOGIA.

§. I.



OX Græca est à *ὑπὲρ* juxta, supra, inter & *φρὴν* Mens. Veteres cum viderent Diaphragma actionum vitalium, & animalium arbitrum esse, morborumque Prognosin ut plurimum per respirationem manifestari, crediderunt illud animæ sedem esse Particula *itis* denotat inflammationem.

§. II. Antequam ad definiendum hunc morbum progrediar prius demonstrare mihi incumbit, num hic morbus in ipsa natura rei, hoc est partis inflammatae, existat nec ne nam non Entis vel non existentis nulla est definitio. Ergo prius morbi hujus existentia est demonstranda. eam non tantum in dubium vo-

ca-

care ausus est magnæ famæ & existimationis Vir Clarissimus Bianchus egregius Anatomicus Medicinæ Doctor & Anatomiae Professor in Universitate Taurinenti. conatur hic Auctor nobis persuadere, Paraphrenitidem esse morbum falso suppositum ab Hippocrate interioris Anatomes minus gnaro, aut ab ejus interpretibus ejus mentem non satis intelligentibus foro medico obtrusum esse. Hipp. ubi de Phrenitide Symphatica loquitur, ita ratiocinatur: *hic morbus oritur ex bile commota, ubi ad viscera & septum transversum resederit* „ hanc sententiam „ non ita crudè intelligendam asserit tenore sequenti: non quidem ipsam septi seu diaphragmatis substantiam intelligit in „ qua bilis non residet, sed illam jecoris partem, seu gibbam „ quæ non solum accumbit septo, sed ab eodem ambitur, & „ comprehenditur, in tertio textu: *in his septum transversum adeo dolet, ut ne contingere quidem sinant*, & certe transversum septum nullo modo in vivente contingi potest, sed jecoris gibbum duntaxat. ergo pro hoc transversi septi nomine „ Hepar ipsum Hippocrates, atque ipsum ejus gibbum intelligit, hæc ille paulo post subjungit: exulet igitur à saniori „ praxi Medica illud Paraphrenitidis nomen, quod Symphaticis Phrenitibus veluti à diaphragmatis inflammatione sub- „ ortis arrogare cum Galeno ferè omnes Hippocratis Affeclæ „ consueverunt, nimis literaliter ut dicitur adductum textum „ interpretati, cum reverà in mortuis ab hoc morbo nulla un- „ quam in transverso septo propria inflammatio, sed semper „ in jecore affectio deprehensa fuerit. Plura huc pertinentia videantur apud Auctorem ipsum in Historia Hepatis pag. 496. & seq.

§. III. Si hæc omnia vera forent, inanis & supervacanea foret mea Dissertatio; & loco corporis umbram explicarem; Sed hunc Clarissimum Virum quatuor rogata velim 1º. an non membrana costas succingens sit cum superiori diaphragmatis continua; an non hæc circa insertionem. Diaphragmatis inflammari, itaque ad superficiem Diaphragmatis pati possit? inflammationem scimus generari ex privatione humidi, aut frigido applicato sanguinem aut alios humores in vasis coagulan-

na-

re, utrumque hic fieri posse nemo inficias ibit. 2°. num sanguis æstuante sole vehementi corporis motu subtilioribus partibus exhalatis in vasis hic maxime tensis non possit congeri, stagnare, mutari, inflammatoriam diathesin contrahere? nil adducit, quo hoc negare possit. 3°. num sanguis non cogatur intrare in alienas diametros, si homo fortem nixum edat, hicque retrocedere impos ibi congestus hære, alcalescere, acrimoniam induere, partes irritando inflammare possit, si naturâ non sint laxæ? quibus rationibus se extricet, ad hæcce illidenda, non video. 4°. à coagulante assumpto ibi obstructuram hærente nonne inflammatio diaphragmatis oriri potest? nec hanc quæstionem solvit responsio, quod prius in pulmonibus hocce fieri deberet, ob substantiam teneriorem; quia ibi ad diluendam sanguini admixta est lymphæ totius corporis, quod non est in diaphragmate. Accedit specialis structura individualis: quod auctor memorat, in phrenitide symphatica nunquam in denatis inventum fuisse diaphragma inflammatum, videtur gratis adduxisse, ut omnes solent, qui ad probandam assumptam hypothesein adducunt, quæ omni tempore & occasione examinari non possunt, quod pace tanti viri & amore veritatis non gratis dixero. ego adhuc Tyro suppono à Clarissimo Domino Boerhavio nil adductum, quin exploratum, perspectum, cognitum, & demonstratum validè sit. exulet ergo nova hypothesis à saniori Medicina negatio paraphrenitidis: nunc definitionem me accingo.

Definitio.

§. IV. Est inflammatio Diaphragmatis cum febre acutissima. cum diaphragma sit mirabilis Musculus, cujus tendo in medio, substantia carnosâ in circumferentia, cujus omne punctum centrum versus trahitur, pro varia ejus parte, majus aut minus periculum involvit, de quo in Prognosi. Morbus hic apud auctores rarissimè describitur, fortè quia ejus cognitio difficilis, aut quia sub-aut adjacentium viscerum inflamma-

torum signa ludit, pro hujus aut illius inflammatione tractatum fuit; unde si pars pleuræ adnatæ inflammata fuerit, pro pleuritide, si circa æsophagum pro inflammatione æsophagi; si à parte inferiori versus hepar, pro Hepatitide, si in parte superiori, pro peripneumonia superficiali existimata fuit; hæc opinio stetit donec inquisitione Anatomica verum morbi subiectum detectum fuerit.

Causa.

§. V. Sicut communis omnibus inflammationibus causa est obstructio, huic uni vel soli affectus hic suas debet natales. sed unde obstructio? hic plurima inconsiderationem veniunt, generaliter vero duo: scilicet canales, & fluidum trajiciendum. ergo causa obstructionis est vel in solido, vel in fluido, vel in utroque simul:

§. VI. *Ratione* solidi five canalis oritur obstructio vel à pressione externa, vel à contractione spasmodica ipsius canalis, vel ab ejus callositate diametrum minuente, & rigiditatem admittendis liquidis ineptam reddente, aut à nimia relaxatione orificiorum globulos humorum diametro non proportionatos admittentium. hæc omnia in diaphragmate contingere ratio suadet. *pressio externa* eaque violentissima in diaphragmate contingit, dum homo validissimum nixum editurus aërem fortiter inspiratum diu retinet; fieri non potest, quin omnia vasa in violento constituta humorum fluxum intercipient, interceptum violenter in alienas diametros incuneant, ut nec progredi ob angustiam canalium, nec remeare possint fixi hærentes; quod nemo negabit, nisi, qui hujus septi arteriosam, & flexuosam structuram, vimque aëris, muscutorumque abdominalium resistentium ignoraverit. objicies, quod debere citius contingere peripneumonia; nec hoc videtur absolute sequi, ob substantiam pulmonum rariorem, molliorem faciliusque cedentem. nec nego id aliquando citius fieri, pro ut arteriæ, aliaque diaphragmatis vasa sint magis aut minus capax

capacia, flexilia intertexta microscopia docent, naturam varietate gaudere. Quantum valeat *spasmodica contractio* ad humorum transfluxum intercipiendum experimenta docent. Vitriolum, aut alumen superficiei linguæ applicatum, facit, ut fapidissima corpora ei applicata nullum imprimant saporem, quia omnes arteriæ liquidum ad saporem judicandum necessarium plorantes jam retinent, se coarctando, unde lingua sicca & pallida pro tempore apparet. Hæc applica diaphragmati, & ultra hanc obstructionis causam concedes. Nisi negaveris, acria sanguini posse inexistere, ad quæ vasa irritata se coarctant.

§. VII. *Callositas* diametros minuens, licet hæc causa rarior sit, & non nisi in senioribus labore diuturno induratis locum obtinere videtur, tam rara tamen non est, ut consulto omittere potuissem. Fateor hanc per se non esse causam hujus affectus, sed motu, rarefactione, aut pressione externa accedente & facillimè, & citissimè morbum hunc producere potest, cumque immedicabilem, ob vasa impressas particulas continentia flecti & emolliri nescia.

§. VIII. *Ratione fluidi* triplici modo obstructiones nascuntur, videlicet rarefactione, condensatione, privatione subtilioris. rarefactio, dices, non inducit obstructiones, quia dividit volumina majora, in superficies minores, minuta non obstruunt, sed coagmentata, ergo gratis rarefactionem pro causa obstructionis assignas. Respondeo argumentum verissimum esse in humoribus homogeneis, ubi omnes ab æquali causa rarefiunt ad eundem gradum. Sed in nostris humoribus res ita non habet, alii enim aliis citius rarescibiles totum humorum volumen adaugent, unde vis premens major, motus velocior globulos improporcionatos in alienas diametros adigit, ut subsistentes partem inflamment; nisi fluido subtilissimo ubique in corpore præsentis vasa lateralia ad compactas moleculas penetrante humectantur, dissolvantur, circuitui restituantur, indago hujus causam morbi sistit, & medelam medico sagaci.

§. IX. *Condensatio* certe non minoris momenti est in hoc casu. Si humores in rarefactione positi ab externo applicato frigi-

do corpore in minus spatium redigantur, vasa coarctentur, motu diminuto fluida subsistant,, notum jam est fieri, ut obstructio, & pedissequa ejus inflammatio inducatur. Hoc forte frequentissimum est. Calcat homo, ingurgitet aquam frigidam, jam infrigidatur œsophagus, & cum circumjacente diaphragmatis annulo frigus communicat, humores condensat, & sic tristem hunc casum inducit, qui cum circa œsophagum hæreat, pro inflammatione œsophagi procul dubio habitus fuit. Item si homo æstuans frigori se exponit, in tota circumferentia, vel in una parte diaphragma inflammari potest, ubi pleuritidis scenam ludit, & Medicos inducit in errorem loci, judicium ibi certe difficile, & occasio sanandi præcepti. multa particularia hic occurrunt, sed cum ex generali jam data idea intelligi possint; iis brevitatis gratia supersedeo.

§. X. *Privatio subtilioris* individuus rarefactionis comes effectus causæ hujus privativæ neminem latere potest, qui liquidorum ope ignis inspissationem novit. crassiora vehiculo suo privantur, unde crascescentes ad motum ineptæ redduntur. Si hæc in corpore humano non excedit, sanitas firmissima, nutritio optima, sanitas enim sine hac stare, nec nutritio fieri posset, ob humidum superabundans, si vero excedit, solida exsiccantur, crispantur, rigescunt, fluida in iis contenta vehiculo suo spoliuntur, unde congestio, stasis, obstructio, inflammatio &c. Ratio hujus in Microcosmo evidentissima. cum omnes cavitates ramorum alicujus arboris simul sumptæ superant cavitatem trunci, calore solis in extremis minuitur resistantia, unde humores ascendentes vi arboris genitali indolem nacti superfluo humido privati in incrementum arberis, aut herbæ cujuscunque condensantur, si vero calor excedit, rigescunt, exsiccantur, crispantur omnia, hinc æstate sicciori omnes plantæ nodos contrahunt, hæc applica microcosmo, & patebit allata veritas.

Accedit, quod aquæ stagnantes calore nimio inspissatæ ab animalibus potæ similes morbos inflammatorios producant. hæc æstanti momenti, est, ut integrum volumen postularet, sed gene-

generalia adduxisse sufficit.

§. XI. Causa vero rarefactionis microcosmicæ duplex statuen-
da 1°. excedens motus animalis, juxta versus

*Ignifero nimium rarefcunt corpora motu,
Hinc subito ardentes inflammant corpora febres.*

altera causa est aromatum calefacientium abusus. Adducta jam
genesi inflammationis, ut me melius intelligas, non superva-
caneum erit, aliquid de ipsa inflammationis natura proferre.
quot sunt species humorum, quot genera vasorum, tot quoque
species inflammationum nascuntur. Alia est inflammatio vaso-
rum sanguiferorum, alia serosorum, alia lymphaticorum, alia
in ipsis ossium meditullis, alia nervorum, quæ rursus eo pe-
riculosior, quo pars subtilior, & ad humorum circuitum ma-
gis necessaria, nam particulæ sanguineæ mole suo sexies exce-
dunt serosas, si diametro dilatata vi impellantur in vasa serosa,
subsistunt, pulsus, calorem, tensionem, febrem, ut verbo
dicam, inflammationem inducunt. par ratio in reliquis. si hæc
accurate possemus cognoscere, medicamentum salubre ad ma-
nus esset; sed hic aliquando acutissimus anceps hæret.

Signa.

§. XII. Qui diaphragmatis structuram, ejus latitudinem
vasorum indolem, probe perspectam habet, non ita difficile
genesin inflammationis agnoscet. difficultas maxima consistit,
an nervi, quibus diaphragma ad centrum usque penetretur, uti
olim Eustachius, & hodie Ruischius, docuit per se an per consen-
sum sint affecti. Antequam signa generalia & specialia, & diagno-
stica sistam, prius ejus decursus delineare, consultum puto,
nec ex signis recensendis rursus error circa partem affectam oria-
tur.

§. XIII. Diaphragma ad costam quintam ascendit, descendit ad
ultimam vertebrarum dorsalium. quoad tensionem tam latum est

ac homo ipse. Hinc putaverunt esse dolorem Ventriculi, Renum, Coli, Hepatis, Intestinatorum, Pancreatis, dum ipsum diaphragma est affectum.

§. XIV. Generalia signa sunt omnium viscerum inflammationibus, communia, scilicet febris acuta, dolor, pulsus durus, excepta Pulmonis, ubi pulsus mollis. ergo ubi hæc signa adsunt, asfero, aliquod viscus esse inflammatum. Quale autem sit, ex loco affecto, ejus functione, & dolore magis aut minus intenso judicandum.

§. XV. Ratione loci affecti certum judicium hic ferre non possumus, ob causas dictas. functio læsa quodammodo certiores nos reddit. jam scimus ope diaphragmatis fieri respirationem, quam jam læsam advertimus, sed nunc indagare oportet, an aliter læsa sit in Pleuritide, aut inflammatione Ventriculi, aut Hepatis &c. In Paraphrenitide respiratio sublimis, ut ægri ad superiora trahant Pulmonem, caventes ne impingant in diaphragma; Hypochondria retrorahuntur, ut diaphragma ad superiora vel inferiora trahi, multum necesse non sit introrsum tracta Hypochondria, quod est unum ex perpetuis hujus mali signis.

§. XVI. Ex tertio genere signorum se sistit dolor, fidelissimus & demonstrativus character. Atrocia ejus magis & minus intensa docet, quale genus vasorum inflammatum sit, nisi consensus partium adjacentium quid obscuritatis offundat. omnis inflammatio creat tensionem; tensio dolorem. si sit in arteriis sanguiferis, oritur acutus, si in vasis serosis præacutus, in nervosis acutissimus, eo magis intenditur, quo pars affecta movetur magis. quoniam vero diaphragma sit musculus tendinosus circa omnes partes, & maximè fibrosus, tensio ejus atrocissimam certe inducit inflammationem, dolorem acutissimum, immanemque, maximè circa centrum, ubi densior fibrarum structura; unde dicitur dolor pungens, ardens, & lacerans. intenditur in inspiratione; æsophagus per consensum affectus nauseam, & vomitum movet, hæc duo symptomata si dolorem adaugent, Paraphrenitis præsto est. delirium à diaphragmate affecto ob multos nervos à pari vago intercostali huc retè

et tendentes ortum esse cognoscitur, si sternutatio accedat, prægressis iis, quæ jam diximus.

§. XVII. Delirium hoc oritur, si inflammatio propinqua sit centro, aut alibi orta ad hoc accedens; nam diaphragma in suo medio membrana est nervosa, pellucida, tensa instar chordæ Musicæ, si hæ partes inflammatae in respiratione extendantur, dolor oritur atrocissimus summè turbans cerebrum, ut inde mens emoveatur, si morbus eousque invaluit, in summo vitæ discrimine versatur æger, de quo postea.

§. XVIII. Quoad situm inflammationis, quo ea major est intra corpus, eo violentior & citior fit motus diaphragmatis. citiusque ad *ακμην* pervenit.

Diagnosticum etiam signum esse perhibent risum sardonium quod tamen cæteris paribus hic locum habet. sardonius dictus est ab Insula Sardinia, ubi crescit apium qua comesta homines incidunt in risum cum convulsione circa musculos levatores labiorum, & muscoli in his casibus nervosi sunt, & has partes deprimunt: circa diaphragma vulnerati aut contusi in similem risum incidunt ob consensum nervorum.

Signa Prognostica.

§. XIX. Si unquam diagnosticorum signorum naturam perspectam exploratamque habere convenit, ut inde prognosis segura Arti & Medico gloriosa pronuncietur, certe in hoc affectu. prognosis fallax, anceps & ignominiosa formatur, si partis affectæ locus, ejusque natura ignoretur. Sola Anatome, & cognitum partium officium judicium Medici in hoc casu firman, cum vero diaphragma & ratione structuræ & extensionis aliarum partium circumjacentium morbos mentiendi incautis imponere solet, tam rarus apud Auctores morbus, tam fallax prognosis. *hic sæpe incauto dominatur opinio mundo, & speciem veri subdolan error habet.* ut vero in hos scopulos non impungatur, signa præreliquis fideliora ex ipsius partis officiis, natura, latitudine, & loco dolenti petenda, & sollicitè indagandum, quos morbos per se, quos per consensum, quæ phænomena

mena propria hujus inflammatio producat. quoad officium, primum locum damus respirationi; quo magis hæc à naturali deflectit, eò malum gravius, eo vitæ discrimen evidentius, eò triste exitium propinquius. ratio hujus in procinctu stat, quoniam diaphragma est vitale illud, & primum respirationis organum; reliquæ corporis partes ut muscoli intercostales, abdominis reliquaque subjecta viscera habent se ad respirationem ut causæ adjuvantes unice à diaphragmatis actione & arbitrio dependentes. Pulmo est tantum instrumentum receptivum aëris, cujus dein vasa diversimodè pressa sanguinem crude subtilisant, & vitalem efficiunt. quod in mechanicis antliis est embolon cogens, & coërcens aquam, hoc in respiratione est diaphragma, pulmo tantum ut cystemæ & Canales: muscoli ut causæ resistentes. sicut pulsus est systole & diastole cordis, sic respiratio est systole & diastole diaphragmatis. ergo omni ratiocinio etiam maximè severo necessario sequi videtur, affecto & deficiente diaphragmate causa efficiente primaria (loquor de solidis,) labefactari, deficere, depravari omnium reliquorum organorum vitalium actiones. quanta sollicitudine magnus & incomparabilis Hipp. respexerit ad respirationem in acutis, quam securas inde Prognoses pronunciaverit, quantum hocce scrutinio gloriam apud omnem posteritatem sibi comparaverit, notum omni digno ejus libri lectori, ejusque filiorum sapienti existimatori.

§.XX. Respiratio igitur parva, inæqualis, à naturali maxime deflectens, sublimis, immoto abdomine, malum indicat enim partem tendinoso nervosam diaphragmatis affectam, subito mortem inferentem, ubi extrema dolorum atrocitas omnes vires vitæ dejicit, tum inflammatio summa, gangræna, & sphacelus proxima, ne mirum videatur, quod atrocissimus hujus subjecti dolor hominem interficiat, quid enim dolor, nisi tensio in partibus nervosis? hæc tensio, hic dolor eò magis intenditur, quo pars affecta sua natura est strictior, jam conspiciendum, diaphragma semper alternatim tendi, nec per se laxum esse, accedit, quod sit tensio in omnem partem, recta, in aliis fibris nerveis, in aliis obliqua, juxta diversum fibrarum cursum,

sum, quod continuo mutetur, nunc ad planum, nunc ad convexum, nunc ad concavum, ita ut superficies una membranæ sit in concavo, dum alia sit in convexo, nunc strictura versus centrum sc. ad punctum, ubi inflammatio est atrocissima, nunc extra illud fieri non potest, quin tali inflammatio fiat acutissima, dolor acutissimus, vitæ periculum maximum. Quo profundius rem indago, eo acerbiores concipio dolorum idæam, ut verbo dicam, dolorum immanitas hac ratione orta totam œconomiam animalem & vitalem perturbando evertit omnia, mortemque accelerat; hinc risus sardonius, delirium, mors.

§. XXI. *Exspiratio frigida* lethalis. denotat sanguinem in pulmonum vasis, & cavernosis cellulis subsistere, quia æger motum ejus ob immanem dolorem inhibere continuo molitur quam sollicitissime, unde circuitus sanguinis impeditus, calor minuitur, licet in aliis partibus non ita, hoc videtur manifestum ex legibus motuum solidorum & fluidorum calorem generantium attritu mutuo. An non in expiratione frigida pulsus sit mollis; an contrarium observatum fuit? nemo de hoc verba facit. Videtur tamen liquere ex fundatissima doctrina Boerhaviana. Multa hic dicenda forent, sed ea brevitatis gratia prætereo.

§. XXII. Quoad partes corporis exteriores respirationi proximæ veniunt examinandæ partes oris in hoc tristi morbo affectæ. si fauces exsiccatae lingua aspera, livida, aut nigra; malum. Nam hæc exsiccatio oritur ab humorum salivallium circuitu intercepto, hinc nulla secretio, aut inde, quia omnia subtilissima calore inflammatorio exhalarunt, unde siccitas solidorum, Gangræna, sphacelus, exitium. Eadem ratione, vox fit clangosa, metallica, ejus interceptio singultus, omnia funesta. Oculi rubentes, distorti, quasi eversi à nervis oculorum motorii male affectis, malum ad summum gradum pervenisse demonstrant.

§. XXIII. Tinnitus aurium, sternutatio laboriosa indicium præbent nervos diaphragmatis crispari, caput per consensum afficientes, unde convulsio sequitur formidabilis. *Si lucem fugiunt*, inquit Hipp. Cap. 1. Lib. Notionum, aut involuntariè lacrymantur, aut distortentur, aut alter ab altero minor fiat, aut

albas partes rubentes habeant, aut venulas lividas, aut nigras, in ipsis habeant, aut lemæ aut sordes circa ipsos appareant, aut etiam instabiles, aut eminentes, aut cavi vehementer facti, aut squallentes & obscuri fuerint, aut color totius faciei alteratus fuerit, hæc omnia mala & perniciofa putanda. In hoc Aphoristica dictione quout verba tot rationum occultarum indaganti tamen sese manifestantium pondera. In aliis supponitur nervorum crispatura, convulsio, in aliis circulatio humorum subsistens, in aliis vis vitæ deficiens, quæ omnia explicare nimis longæ foret, nec ratio instituti hujus id exigere videtur. Sed dicetis magnum Hipp. non loqui de Paraphrenitide, ergo hæc ejus dicta malè applicari. respondeo, licet non loquatur de paraphrenitide, tractat tamen de signis morborum acutorum, at noster affectus est morbus acutus, hisce quandoque signis exitium minitans, non inconsultè ergo ejus verba & fidem adduxi.

§. XXIV. Non raro morbus hic signis ludit fallacibus. sic color faciei potest esse sano similis, ut & pulsus & urina, & ægrum tendere ad mortem. Quod modo Galenus notavit. *color* quia sanguis non potest per venas carotides fluere ad cor, ob sanguinem in alterutro pulmonum lobo stagnantem, hinc facies naturalem extensionem & colorem servat, ob eandem rationem pulsus in duritie ad naturalem remissus, mollior, sanoque similis. Quoad urinam, quæ in contractione membranarum & ductuum aquea procedit, hic calore inflammatorio ad naturalem tincta sanam mentitur, subtilitates quæ hic obijci possent, à nobis examinatae judicium jam datum minimè evertent.

§. XXV. Omnia hujus morbi signa periculi plena, quod insinuat clarissimus Boerh. sagacissimus causarum latentium investigator, inventor & demonstrator in titulo hujus dicit, morbi hujus cursum velociorem, funestioresque esse, quam sævæ pleuritidis ob necessitatem partis ad vitam, motumque ejus continuum, tensionem membranacæ substantiæ. Hic noscite ab unge Leonem.

Exitus.

§. XXVI. Morbus hic velut omnis inflammatorius vel exit in sanitatem, vel in alios morbos magis aut minus funestos pro loco aut indole partis affectæ, aut immediatè in mortem. In sanationem ope naturæ, vel artis in initio, dum morbus adhuc simplex & domabilis. Hoc est si canales adhuc integri membranulæ nondum convulsæ & laceratæ fibræ musculares nondum gangrenatæ, aut sphacelatæ, aut si per consensum nondum convulsæ actiones cerebri nondum depravatæ. Medullaris substantia nondum turbata, quin redintegrari possit, si vero hæc facta, morbus in eo gradu constitutus superat vires naturæ, & artis auxilia. Si membranæ suppuratæ, cura anceps. Si vero nihil horum adfit, neque fibræ exsiccatae, nec rigidae, sed rore diaphragmatis saluberrimo illo naturæ, totiusque microcosmi meteoris humectatae, flexiles servatae, ut liquidum stagnans sensim dissolvatur, circuitui restituatur, redit sanitas, qualis viguit ante. Auxilio naturæ hæc resolutio etiam fit evacuatione critica, v. g. hæmorrhoidum, aut alia salubri, hucusque opus naturæ circa initium. Ars plus facere non potest, quam naturam imitari, nempe fovendo partem humido calido, & evacuare onerosum, obstans resolutioni. En via regiae curationis.

§. XXVII. Sanatio naturalis nascitur his signis: æger sentit levamen in in- et expiratione, respirat liberior, atrocitas dolorum mitescit, omniaque symptomata fiunt mitiora. Tum prudens Medicus cavet, ne naturam in opere suo medicamentis perturbet. Medicina tunc summa est nihil agere nisi necessaria administrare. Qualia sunt blandissima aperientia, ut infusum seminis orobi cum melle & aqua, addito tantillo nitri, aliaque id genus naturæ auxilia sunt. Huc referenda decocta radicis cichorei, Scorzonerae, Acetosæ, Malvæ, Bismalvæ, Endiviæ, Papaveris erratici &c. Ars summa consistit in horum exhibitione ad indicationem naturæ: hæc horret gravari

multa simul & semel coquere; lætatur fotu continuo, modico, convenienti, & sic de aliis. Hinc modicè, calidè omnibus 5. aut 8. minutis unciam unam aut alteram, pro ut majus aut minus dispendium humide subtilioris calore & motu rarefacti, exhalantis ad refarciendum hoc, ut interiora fovenda etiam conveniunt ex prædictis decoctis, cataplasmata, clysmata, minimè acria, ut retineri possint diu, & resorberi hoc ultimum fieri posse colligendum ex vasis lacteis in intestinis crassis licet rarioribus adhuc tamen præsentibus, docent idem fæces contracta mora exsiccata. Imo exempla obvia sunt, clysmata ad mensum nutrientia, ab actu ergo potentiam cæteris paribus valet argumentatio. Fomenti externi efficacia, ubi venæ absorbentes subtilissimum inhalant. hoc neganti opponit se mercurius externe inunctus salivationem inducens, uti & balnea sitim sedantia.

Ob hanc aërem truncum rami falicis frondosi in urnam frigida plenam ponere eximii effectus esse certo concipimus, pori enim externi in subjecto morbis inflammatoriis exsiccato hiant, anhelantes liquidum, quod imbibant.

Exemplum stupendæ imbibitionis cutaneorum vasorum videre est apud Dygbi, qui asserit virginem religiosam se ita jejuniis exsiccasse, ut aquam ex aëre instar tartari calcinati attraxerit, & inde reddiderit ducentas libras urinæ spatio 24. horarum, addit se ipsi præsentem fuisse. Idem meminit Petrus Servius Medicus Papæ Urbani VIII. infert Vallemont, poroscutaneos esse vias ad miasma malignum ex aëre attrahere.

Vapor aquæ ebullientis magnum in hunc finem medicamentum esse, merito infero; nec puto ex falsa hypothese, ad humorem diminuendum convenit V. S. Quoad diætam hujus morbi status & indolis, æger caveat omnia exsiccantia, utatur victu blando, humido, tenui ex jusculis hordeatis, carneis tenuissimis, quibus herbæ molles & saponaceæ incotæ, quales sunt lactuca, cichorium, endiviæ, scorzonæ, cum pauco nitro; ubi adstrictio alvi, pulpa cassiæ, tamarindorum, prunorum damascenorum, decoctum passularum conquassatarum, per linteum expressum, ne cortices simul deglu-

tiat,

tiat, has enim digerere nec sanissimus potest. Decoctum avenaceum, furfurum siliginis etiam insigne abstergens, si mel addatur. Hæc omnia alvum emolliunt. Medicos attentos esse vult Hipp. ad naturæ molimina, quale evacuationis genus moliatur. unum per alvum, urinas, sudores, hæmorrhagias, quo verget ducenda, aptis ad hoc instrumentis. In his cognoscitur dignus ejus minister. invigilandum ergo maximè ad hæc omnia; quò versus materiam criticam hæc sibi conscia movere allaboret.

§. XXVIII. Si determinetur materia ad loca minus consueta, ad partes minus nobiles ad vitam minus necessarias, uti ad aures, crura humerum, &c. quod extensione, stupore, dolore & partis gravitate innotescit, progressus facilitandus. de his omnium optime scripsit Prosper Alpinus in incomparabili tractatu de prælagienda vita & morte, ille locus est fovendus, laxandus, ut naturæ intentio, & actio promoveatur, & materia morbosa evacuetur. Hipp. paucis verbis nervosè expressis, dicens: quo natura vergit, eò ducenda. ducere eam nemo potest, nisi perspectas habet vias, & quæ in eis obstare possint; in quibus deviare facile. sapienti hic ductore opus, & ministro cauto, & conscio, in anatomia quam maximè versato. si vero ita morbus solvi non possit transit in alium morbum. Si in suppurationem, duo veniunt consideranda. an versus superiora, an versus inferiora. si versus superiora, fit empyema in cavo Thoracis. si fuerit in parte musculosa carnea, malum utcunque magnum, mitius tamen ratione facilioris redintegrationis, ac si in parte membranacea fuerit. rum Paracentesis, uti in pleuritide instituenda; mundificanda interiora, arcendus à vulnere aër. si hic liberè admittatur, tunc aër in pulmonem ob resistantiam externam admitti non potest, & æger suffocabitur.

§. XXIX. Signa hujus empyematis sunt: si dolor subito remittit, scitur vasa à materia contenta extensa rupta esse, materiamque exire, hæc collecta ad sensum ægri se hinc inde vertentis fluctuare in cavo thoracis. si respirationis difficultas orta multum augetur, dolor ex acuto fit obtusus, si-

gnum est non tantum membranam ruptam esse, sed etiam magnam puris copiam præsentem, dilatationi pulmonum obstantem. hæc maturè educenda, ne acrior facta novam inducat morbum membranas vicinarum partium arrodendo; & quia pus hæret loco calido, clauso & moto, inquinabitur pulmo, qui viscus tenerum, fungosum, hinc cito putrescit, & oritur phthisis purulenta. quod periculum semper metendum.

Alterum signum est tussis perpetua, febris vespertina, sudor maxime ad jugulum & caput, unde oculi rubent, unde præsentia puris effusi.

§.XXX. Antequam vero prædicta paracentesis instituatur, locus perforandus notetur; tum vulnere facto partes dilatentur. tum pus educatur repetitis vicibus, semper decocto abstergente vel melle cum pauca myrrha soluto cum sero lactis injiciendo pergendum & reiterandum, donec pus non amplius foeteat, semper omni cura aër arcendus ob rationem ante dictam, diæta sit ex sero lactis, cum detergentibus.

§ XXXI. Si pus erumpat in cavum abdominis, curationem nec dubiam ausim promittere, quis enim integrum abdomen repurgabit, ubinam pus colliget, ut educat, quomodo tenerrimas membranas omenti, vasa lactea exilissima in superficie mesenterii defendet ab acrimonia puris. cum hujus præsentia se non monstret nisi aliquibus diebus post, ubi modo ascites præsto est. hæc si præcaveri non possint orta ascites lentem mortem post se trahet. si quid tentandum esset, balneis; fomentis, clysmatibus humidis assumptis fieri debere existimo, ut hac ratione pus attenuatum una cum vaporibus sensim resorberetur. sed redit, quod Clarissimus Boerhave Professor meus integerrimus dicit: malum hoc licet cognitum ut plurimum incurabile.

§.XXXII. Si ruptio supra & infra simul fiat, ita ut diaphragma perforatum aërem admittat ex cavo abdominis in thoracem, ex hoc in illud, homo suffocatus moritur. num in hoc casu pars membranacea fuerit affecta, an vero in musculosa, ut inde vomica potuerit in latius excrescere, an in binis locis,

locis, scilicet una in parte inferiore, altera in superiori, non facile determinavero. in hoc casu cadavera forent inspicienda existimo si in partibus nervosis inflammatio fuerit, eam citius abire in gangrænam, quam in suppurationem, propter enormem nervorum affectorum motum convulsivum, humida cohibita ad gangrænam disponentium.

§. XXXIII. Si malum abeat in gangrænam, hæc brevi terminatur in sphacelum, tum nullum remedium in rerum natura, qua mors arceri possit. omnis cura nulla, omnia auxilia vana, exitium certum. cognoscitur hæc ex prægressa inflammationis magnitudine, dolore ad summum breviter invalescente, subito sine ulla causa remittente. in hoc statu Medicus nil agendum habet nisi ut funestam dicat prognosin, ægrumque moneat de domo sua disponenda.

In cura à principio cavendum, ne corpus exsicceetur, si præcavero motum exorbitantem, exsiccationem, non facile orientur hæc mala quibus, quando, quomodo, & tempore, quibus circumstantiis hoc præstari debeat, sufficienter in superioribus dictum.

Hæcce sunt, Benevole lector, quæ circa hunc morbum ex immaturi adhuc ingenii tenuitate deprompsi, ne stomachicis, quod curam signis & morbis, in quos abire solet, immiscuerim; ratio id exigere videbatur; ne lecturi suspensi tenerentur, quid in hoc vel illo casu agendum existimarem. multorum auctorum nomina non adduxi, quia pauci de his, vel nullus debite, excepto Clarissimo Domino Boerhavia quantum scio differuit.

Multa conscribere potuissem, & folia multa implere, sed prudenter hoc evitavi, timens ne paucis his modo nimis dixerim. Vale.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

*Voluntas nostra diaphragmatis ! dominio subijcit
universum corpus, actiones omnes tam vita-
les, quam animales & naturales.*

II.

*Est causa vitalis, non vite; causa inspirationis,
non expirationis, est primum agens foetus
enixi, dum homo ultimò expirat habet se
passivè.*

III.

Ejus morbi & vulnera ut plurimum lethalia.

IV.

*Potest eodem tempore pleuritis, & paraphrenitis.
oriri.*

V.

*Eodem tempore inflammatio diaphragmatis &
peritonæi, uti & œsophagi.*

VI.

Tum ratione utriuslibet inflammatio est particularis; una tamen ab alia vix separabilis; hoc est: sanata una sanatur altera immediate, aut simul abeunt in gangrænam.

VII.

Rarissimè membrana superior, aut inferior est inflammata sola, quin fibræ musculares subiectæ simul inflammatae; imo ausim dicere, has frequentius inflammationem contrahere quàm membranas.

VIII.

Frequens inflammatio in arteriis sanguiferis, rara in seriferis, rarior in lymphaticis, rarissima in nervis, nisi à prioribus in sequentes propagetur, quod forte fieri posse autumo.

TER INWYDINGE

VAN DEN HEERE,

MICHIEL VAN DE WERKE,

Tot Geneesheer.

Het is nu de regte tydt,
Om eens uit de borst te zingen',
Daar gy dapper vegt en ftrydt
Onder Febus Gunstelingen,
Om een onverwelkb'ren kroon,
Den verwinnaer tot een loon.

't Gaet naer wensch! ik zie myn Vriendt
Als verwinnaer weederkeeren:
Nu gy hebt dien prys verdient,
Zal elck uwe wysheit eeren,
En, als tot zyn toeverlaet,
Koomen in een flegten staet.

Biedt

Biedt de zieken hart en handt!
Laet haer nooit in noot verleege!
Geef meer blyken van 't verstant,
En behael steeds nieuwe zeegen!
Dan zal ook de vlugge Faem
Wis vereeuwigen uw Naem.

J. J. V.

TER INWYDINGE
VAN DEN HEERE,
MICHIEL VAN DE WERKE,

Tot DOCTOR der Medicynen.

Men mag hem eerst gelukkig heeten,
Die in dees nutte Weetenschap,
Geen tyd heeft forgeloos versleeten,
En streeven wil langs Wysheidts trap
Naar deugt, die haar standvastte Minnaar
Hier nu ook rykelyk beloont,
En hem het hooft, als Overwinnaar,
Met Phoebus Lauwerhoed bekroont,
Naar dien Kroon, Vriend, komt gy ook dingen,
Die selfs Verstand, en Deugt betaalt,
Die nyt, nog haat uw kan ontwringen,
Wie moedig stryd, die zegepraalt.
Gy komt hier aan ons oog vertoonen
Reeds een begin van uw verstand,
Dus ziet men uwen yver loonen,
De Wysheit bied uw self de hand.

Dring

Dring nu vry door tot in den Tempel,
In 't diepste van Minervaas Choor,
Wil niet vertoeven op den drempel,
Maar volg uw *Leeraars* op het spoor,
Nu gy zyt op dien Throon getreeden,
De weg, die is door haar getoont,
Wil loflyk uw beroep bekleeden,
Zoo word uw Werk altoos beloont.

ADRIANUS VAN SWIETEN,

J. U. St.

AEN

A E N D E N H E E R E
MICHEL VAN DE WERKE ,

*Wanneer hy tot Geneesheer wierd
ingewydt.*

Zoo ziet gy eindelyk uw zweeten, zwoegen, slaven,
Met ruime winst beloont,
o Wakkere MICHEL! nu gy als andre braven,
Met lauwen wordt bekroont:
En treet door naerftigheid, langs de edle glorytrappen
Tot op den hoogften top
Der allerwaerdſte kunſt, het puik der wetenschappen,
Myn Vriendt! kloekmoedig op.
Ik hoor 't Bataefs Atheên van uwen roem gewagen.
Elk pryſt het loflyk ſpoor,
Dat gy, om ware deugd en wysheit naer te jagen,
Al overlang verkoor.
Ga, kwytt u als een Helt; verlos, in angſt en pynen,
In kwellingen en noot
Den lyder, afgemat door 't fukkelen en kwynen,
Uit de armen van den doodt.
Zoo moet uw kunſt, voor by den roem van andre draven,
Met 's Hemels gunſt bekroont:
En gy in 't einde zien, uw zweeten, zwoegen, slaven,
Met ruime winſt beloont.

MICHEL VAN KOUWENBERG.